

rem creditoris securitatem, principali debitore nihilominus obligato manente.

Hic

dicitur *Simplex et Principalis*,  
differtque

**Fideiussor Succedaneus**, ein Rück-Bürge, qui iterum pro fideiussore intercedit in eum casum, si forsan fideiussor principalis solvere coactus fuerit et a debitore suum recipere non potuerit.

**Fideiussor Indemnitas**, ein Schadens-Bürge, qui quidem in gratiam creditoris non minus ac fideiussor simplex intercedit, sed in eum modo casum, si creditor suum nec a debitore, nec a fideiussore consequi possit.

Quicumque se valide obligare potest, ille et fideiubere potest, nisi specialiter prohibeatur.

*Prohibentur*

vero

*Foeminae* ob

**Senatus Consultum Velleianum**, quod est ius, quo foeminis pro aliis intercedentibus subuentum, ne ex intercessione sua efficaciter conuenirentur. (m)

*Cessat*

hoc

1) *Si mulier in dolo sit*, v. g. si scit, se non teneri et tamen intercedit, animo decipiendi etc. Iura enim modo subueniunt deceptis, non decipientibus.

2) *Si mulier post biennium fideiussionem de nouo repetierit*, quia tunc ratio cessat Scti, quod se non satis deliberasse, sed ex sexus imbecillitate fideiussisse praesumatur.

3) *Si mulier pro pia causa intercesserit*, v. g. debitis ecclesiasticis, alimentis etc.

4) *Si creditor minor sit et debitor principalis non soluendo*, Tunc enim contra exceptionem Scti Vellei. in integrum est restituendus minor, quia priuilegium, quod minoribus concessum, sc. restitutio in integrum, potentius est priuilegio mulieribus per Sctum Velleianum concessio.

5) *Si*

(m) Lib. 16. tit. 1. ff. de Sct. Vellei.